

Martyrologium Romanorum

Ante diem decimam quartam Kalendas Julii,
id est, (sicuti moderni computant)
die decima octava Junii,
Anno Domini bis millesimo decimo quarto
Summo Pontifice Francisco feliciter regnante,
seu potius, humillime serviente,
Eminentissimo Servo Neo-Eboracensi
Timotheo Cardinali Dolan,
olim Rectore Magnifico Collegii nostri
cordialiter recipiente,
Praefecto Urbi Neo- Eboracensi,
Honorabili Gugliemo Di Blasio,
benigne adnuente,
nos e locis propinquis et longinquis
sollemniter in Centro Catholico coadunati,
in perpetuam rerum insignium memoriam
adnotamus et commemoramus:

Imprimis fatendum est me magna cum trepidatione munus meum suscipere, quia inter nosmetipsos invenitur Latinista eximius, Episcopus nempe Bernardus Hebda, qui, olim Director Spiritualis Collegii nostri, nominatus est Coadjutor Archidioecesis Novarcensis.

Item in regione nostra, Episcopus Auxiliaris Bruklyniensis, Franciscus Caggiano, sicut propheta Habacucus, ereptus est ut Sinum Insulae Longae transmigraret et Ordinarius Dioecesis Bridgeportensis fieret.

Iterum Bruklyniensi: Reverendissimus Edwardus Scharfenberger ad ordinem episcopalem elevatus est ut succederet Episcopo Emerito Howardo Hubbard Dioecesis Albanensis hac in civitate Neo-Eboracensi. Howardus noster nunc ad montes Adirondacks fugiens, ibi in fluviis lacibusque innumeras pisces potest capere.

Hartfortiensi: Archiepiscopus Henricus Mansell, qui decem abhinc annis e nostra Dioecesi Neo-Eboracensi in Hartfortiensem translatus est, nunc in placidos agros emeritus ire meruit, non autem ut se dedicet ad vitam "dolce far niente," peragendam, sed potius ut otium suum amplissimum consumeret ad legenda et memoriae committenda omnia nomina in libro telefonico Hartfortiensi scripta.

Quo in opere adjutorium praestabit successor suus, Archiepiscopus Leonardus Blair, qui e Dioecesi Toletana in America volavit ad hoc munus suscipiendum.

Austiniensi: Elevatio et consecratio episcopalis Reverendissimi Michaelis Sis, Vicarii Generalis. Uti scitis, grammatice “sis” est forma verbi “esse:” modus subjunctivus, secundae personae singularis temporis praesentis. Ergo, secundum fontes meas valde dubias, nominatio sic facta est. Papa Franciscus Michaellem nostrum vocavit et his verbis illi dixit: Ego te nomino, Reverendissime Sis, ut sis Ordinarius Dioecesis Angeliana in Civitate Texiana. Sic, Sis sistit in situ suo.

E lucubrationibus meis assiduis compertum est classem anni septuagesimi tertii fecundissimam fontem esse honorum episcopaliū, quia, praeter supra memoratum Edwardum Scharfenberger, Ronaldus Gainer Ordinarius Harrisburgensis nominatus est et Robertus Deeley, Episcopus Auxiliaris Bostonensis, ad Ordinarium Portlandensem in Cenomannica (Maine) elevatus est. Idcirco, luculenter patet numerum septuaginta tres felicissimum esse. Suggestio mea: ludite istum numerum magicum in lotteriis vestris localibus. Sicut saepe audimus hic in nostra urbe: “Hey, numquam scitis!”

Ad quod corroborandum, alumnus anni etiam prioris, septuagesimi nempe secundi, Salvator Matano, Episcopus Burlingtonensis, Ordinarius Roffensis (Rochester) nominatus est.

Ne praetermittam alumnos recentioris aetatis, Reverendissimus Joannes Doerfler, Vicarius Generalis Sinus Viridis, Ordinarius Marquettensis nominatus, elevatus, et consecratus est. Necnon, Reverendus Andreas Cozzens Episcopus auxiliaris Paulopolitana et Minneapolitana consecratus est.

Hi omnes nunc in ovilia sua intrare debent et, secundum mandatum Papae Francisci, obolere odore ovium.

Eheu, proh dolor, nunc annuntio vobis notitiam maestosam. Oh, fletus magnus et stridor dentium! Numerus valde diminutus est illorum qui ad honorem Praelatorium cum titulo Reverendissimo adnexo adspirant. Illa dignitas “Monsignoratus” non conferetur eis qui aetatem annorum sexaginta quinque nondum attigerunt. Ideoque propono illis, ejus tituli cupidis, versionem novam cantici mediaevalis. Debent cantare non “Gaudeamus igitur,” sed “Doleamus, igitur, juvenes dum sumus, post molestam juventutem, post jucundam senectutem nos habebimus rubrum, vestimenta rubra.”

Praeterea, hac in re, bene notandum est effatum illud: episcopi consecrantur, sacerdotes ordinantur, monsignores autem creantur, quia creatio significat “facere aliquid ex nihilo.”

His non obstantibus, necesse est ut saltem unum Reverendissimum celebremus, Ferdinandum nempe Berardi, olim discipulum meum in Seminario Minore Neo-Eboracensi. Ille, natus in Italia, nunc trans Atlanticum revertitur ut praesit Casae Nostrae Sanctae Mariae in Via dell’Umilta. En exemplum insigne illius

desiderii Papae nostri Francisci, qui nos sedulo hortatur ut non dignitatem, sed humilitatem prosequamur.

Dein, omnes alios quoque salutamus, honoramus, et in lucem splendidam collocamus qui vel jubiliaeos sacerdotales celebraverunt vel otio meritissimo, officiis suis fideliter expletis, perfruuntur.

Postremo, Deo Misericordi ac Benevolenti commendamus animas fratrum nostrorum qui ex hoc aevo in vitam aeternam transierunt:

Doctor Joannes Goeke ('61, Sancti Ludovici)
Reverendus Leonardus Sinatra ('68, Philadelphiensis)
Reverendus Albertus Fosselman ('72, Renensis)
Reverendus Garry Culver ('66, Desmoinensis)
Reverendissimus et Excellentissimus Antonius Bosco (Casa '57
Greensburgensis)
Reverendus Paulus Hritz ('54, Clevelandensis)
Reverendissimus et Excellentissimus Josephus Gossman ('56 Raleighiensis)
Reverendus Ricardus Flutie ('82, Bridgeportensis)
Reverendus Dominus Paulus Hittner (61, Davenportensis)
Reverendissimus Guglielmus Forster ('55, Bostoniensis)
Reverendus David Brock (ICTE '88, Detroitensis)
Reverendus P. Brendan Lawless (ICTE '64, Civitatis Jeffersoniensis)
Reverendissimus et Excellentissimus Alexander Quinn (Casa '62,
Clevelandensis)
Reverendissimus Roy Ronald ('61, Buffalensis)
Reverendus Joannes Friedell ('55, Dubuquensis)
Reverendus Joannes Fitzgerald (ICTE '91, Angelorum in California)
Reverendus David Douglas ('66, Lafayettensis in Indiana)
Reverendissimus Franciscus Goguen ('67, Wigorniensis)
Reverendus Guglielmus Blazewicz (ICTE '98, Crossensis)
Reverendus Robertus Altmann ('62, Crossensis)
Reverendus Thomas Murphy ('85, Indianapolitana)
Dominus P. Eugenius Guerin ('63, Sanctae Fidei)
Reverendissimus Thomas Cormier ('82, Novarcensis)
Reverendus Guglielmus Tuyn ('63, Buffalensis)
Tandem, carus amicus meus Reverendus Zigford Kriss ('59,
Hartfortiensis)

Cum omnibus alumnis defunctis nostris requiescant in pace. Amen

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum.
Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

Msgr. Walter Niebrzydowski, '59
6-18-14

